

## CORNELII TACITI

saepe interrogat iudex, quando incipias, et ex interrogatione eius incipiendum est. frequenter probationibus et testibus silentium †patronus indicit. unus inter haec dicenti aut alter 4 adsistit, et res velut in solitudine agitur. oratori autem clamore plausuque opus est et velut quodam theatro ; qualia 5 cotidie antiquis oratoribus contingebant, cum tot pariter ac tam nobiles forum coartarent, cum clientelae quoque ac tribus et municipiorum etiam legationes ac pars Italiae periclitantibus adsisteret, cum in plerisque iudiciis crederet 5 populus Romanus sua interesse quid iudicaretur. satis con- 10 stat C. Cornelium et M. Scaurum et T. Milonem et L. Bestiam et P. Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint. itaque hercule eius modi libri extant, ut ipsi quoque qui egerunt non aliis 15 magis orationibus censeantur.

**40** Iam vero contiones assidue et datum ius potentissimum quemque vexandi atque ipsa inimicitarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a Publio quidem Scipione aut *L.* Sulla aut Cn. Pompeio abstinerent, et ad incessendos principes 20 viros, ut est natura invidiae, populi quoque †et histriones auribus uterentur, quantum ardorem ingenii, quas oratoribus faces admovebant.

**2** .. non de otiosa et quieta re loquimur et quae probitate et modestia gaudeat, sed est magna illa et notabilis eloquentia 25 alumna licentiae, quam stulti libertatem vocitant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine severitate, contumax, temeraria, adrogans, quae in bene con- 3 stitutis civitatibus non oritur. quem enim oratorem Lacedae-